

thedræ dicitur. — 7. Natalis basilicæ. — 8. Natalis sanctorum, scilicet obitus. — 9. Eorumdem natale genuinum. — 10. Natalis depositionis. — 11. Natalis illorum pro dedicatione templi Deo eo-

(1. Antiqui quasvis insignium rerum anniversarias memorias natales vocabant. Ita Alexandrinos natalitia magni terræmotus sub Valentiniano quotannis recoluisse, Sozomenus narrat, lib. vi, cap. 2.

(2. Cæterum quod natalis cujusque dies antiquis lætus erat, adhiberi passim natalis nomen cœptum est, præsertim ad lætos alios, qui singulis annis recurrunt, significandos. Hinc :

(3. Ante medium quinti sæculi feria v in cœna Domini denominabatur natalis calicis, ut ex Calendario apud Bollandianos t. VII *Junii*, pag. 178, habemus. Rationem reddit S. Eligius Noviomensis, aut alius sub ejus nomine *Bibl. Patr. Colon.* t. VII, editus hom. 10. *De cœna Domini*, ubi ait : « Vocatur enim hæc dies cœna Domini; vocatur et natalis calicis : et merito, quia hac die mysticum Pascha Dominus cum discipulis suis celebrans, sacramenta corporis et sanguinis sui illis, atque per illos nobis tradidit, et ipse celebrationis INITIUM fecit. »

(4. Natalis quoque Papæ dicebatur annua susceptæ a Summis Pontificibus ordinationis memoria. Nimirum, inquit doctissimus Rosweidus in epistolam 16 S. Paulini Nolan, ut olim imperatores Imperii sui ortum, seu Natalem celebrabant (quare in Silvii Laterculo x Kal. Nov. ascribitur natalis Valentiniani Purpuræ, et in Bucheriano Calendario 6 Idus Novembr. notatur natalis Constantii, scilicet, ut est in Idacii Fastis, dies, quo levatus est Constantius Cæsar), ita Romani Pontifices Episcopatus sui natalem celebrare sunt soliti. Sixtus III, Pontifex ad Cyrillum ep. Alexandrinum a Christi 432 : « Ad Beat. apostolum Petrum ait, fraternitas universa convenit : ecce auditorium congruens auditoribus, conveniens audiendis. Habuerint coepiscopi nostri illum gratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namque, et venerabili synodo, quam natalis mihi dies, favente Domino, congregat, quia sic credendum est, ipse præsedet. » Idem epistola ad Joannem episcopum Antiochenum : « Audivit universa fraternitas, quæ ad natalis mei convenerat diem, qualiter bono humani generis Apostolicæ Sedis, me præside, gratulentur. » Hilarius Papa in epistola ad episcopos Tarraconensis provincie : « Lectis ergo in conventu frâtrum, quos natalis mei festivitas congregat, litteris vestris. » Ea festivitas inter solemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quæ profert Anastasius Bibliothecarius in Vita Adriani primi : « Denique ejus beatitudo fecit et pharum majorem in eadem B. Petri Ecclesia in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas, et septuaginta. Et constituit, ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, id est, in Nativitate Domini, in

rumdem nomine erecti. — 12. Ubi ergo natalis sanctorum occurrat, sedulo videndum, quid eo nomine significetur.

Pascha, in Natali Apostolorum, et in NATALI PONTIFICIS. »

(5. Neque id e more fuit tantummodo Romanorum Pontificum sed et cæterorum episcoporum. Sic S. Augustinus ep. 108, n. 5, et lib. ii *contr. Lit. Petil.*, cap. 23, frequentissima numerositate Thamagudensis Optati natalitia celebrata perhibet, anniversarium nempe suscepti episcopatus diem. Gregorius quoque Turonensis hoc sensu « natale episcopatus S. Martini » appellat in lib. i *De miraculis* ejusdem S. Martini cap. 6, « sciat, quia post hoc triduum natalis episcopatus ejus esse consueverat. » Hujus rei locuples quoque testis est S. Ambrosius lib. viii, ep. 60, *ad Felicem*. Tandem, ne in re notissima longior sim, in Lectorarii Luxoviensis a Mabillonio vulgati legenda 71 exstat lectio in *Natale episcopi*.

(6. Utrumque natale cum Romanorum Pontificum, tum episcoporum vocabatur etiam natale cathedræ. Quare in pervetusto Bucherii Calendario viii Kal. Martii occurrit natale Petri de Cathedra. Augustinus quoque, aut alius antiquus auctor serm. 15. *De sanctis* in festo Cathedræ S. Petri ait : « Institutio solemnitas hodiernæ a Senioribus nostris cathedræ nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. » Anniversario cathedræ die concionem habebant episcopi. Vide S. Leonem M., serm. 1, 11 et 111, et Augustinum, hom. 24 et 25, ex libro i *Homiliarum*. Aliquando eo die aliorum panegyricis laudabantur episcopi; ita Petrus episcopus panegyrico sermone ornatus fuit a Chrysologo serm. 107, et Laurentius Mediolanensis episcopus ab Ennodio sacra dictione prima.

(7. Natalem quoque basilicæ sæpe in veterum monumentis offendis. Anniversarius dies est, quo basilica solemnibus ecclesiæ catholicæ ritibus fuerat dedicata.

(8. Natalis sanctorum plerumque dies est, quo ex misera hac lacrymarum valle ad cœlestia gaudia evolarunt. « Natalem, inquit Augustinus in *natali Cypriani martyris*, hodie sicut nostis, celebramus. Quod nomen sic frequentat Ecclesia, (id est natales), ut natales vocet pretiosas martyrum mortes. » Et paulo post : « Quid est hoc, fratres? Quando natus sit, ignoramus; et quia hodie passus est, natalem ejus hodie celebramus. » Huc spectat natalis martyrii in Actis S. Polycarpi, et natale S. Agnetis de passione in Sacramentario Gelasiano. Tertullianus quoque, *Lib. de corona milit.*, n. 36, martyrii solemnia natalitia appellat. Sed de his audiatur etiam S. Nicolaus I Pontifex, in celebri epistola *ad consulta Bulgarorum* cap. 5 : « Consuetudinem, inquit, tenet Ecclesia, ut solemnem beatorum martyrum, vel confessorum Christi dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum nuncupentur NATALES; sed et eorum so-

lemnia non funebria tanquam morientium, sed utpote in vera vita nascentium natalitia vocentur » In eandem sententiam loquitur Carolus rex epistola 2 *ad Albinum abbatem*, ex qua in ms. collectione canonum cardinalis Laborantis, tit. 19 primæ partis libri vi, *De octavis diebus festivitatum* hæc afferuntur, Cl. Præsule Antonello teste in *Miss. Vetus Rom.*, p. 24. « Duas stolas sunt habituri sancti, glorificationem scilicet corporis et glorificationem animæ. Altera præcedit alteram, stola videlicet animæ. Hæc enim in die positionis carneæ gravitatis, et sarcinæ corporalis accipitur; qui dies *natalis, seu natalitium hujus illiusve sancti vocatur*. Tunc quippe vir sanctus, cum præsentis miseræ moritur, nascitur æternæ felicitati : Dies, inquit, mortis dies nativitatis, et sociatur angelicis choris, et ut pro nascente puero fieri solebat antiquitus, pro eo natalitium celebratur in terris, de ejus assumptione gaudium fit in cœlis, et cui veluti concorporali membro cætera membra congaudent ». Certe isthæc natalitia, sive anniversariæ martyrum commemorationes Eucharistiæ, hoc est gratulatoriæ et lætitiæ testes erant, ut animadvertit cl. Muratorius in opere *De paradiso*, cap. 10, p. 87. Conferri etiam poterit Baronius in Adnotationibus ad Martyrologium xi, *Non. Januar.*

(9. Si quando tamen ipsa alicujus sancti in terris nativitas celebranda videretur, ea natalis genuini et ingenuini nomine designabatur. In missali Gelasiano exstant orationes missæ in natale genuinum, nempe in diem, quo quis ex matris utero emersit in lucem. Vide Thomasium in *Orationali*, tom. II, pag. 552. Hinc apud Rhabanum ad d. 28 Januarii; « Romæ S. Agnetis genuinum; » suppl. natale, quod antiquiores dixere : « Nativitas S. Agnetis virginis, » vel etiam, ut in eodem Gelasiano Sacramentario, « na-

tale ejusdem de nativitate. » Vide Mazochium tom. I, *Kalend. Neapol.*, p. 17, et equitem Victorium, *Dissert. philolog.*, p. 20.

(10. Ipsa quoque dies depositionis, seu sepulturæ sanctorum *natalis* nomen non raro obtinet; imo et ipsa translationis reliquiarum dies eodem nomine prænotatur; sic natalis reliquiarum Stephani protomartyris in Martyrologio Hieronymiano iv Nonas Augusti recolitur.

(11. Tandem alicujus sancti natalis dies quoque appellabatur ex ipso ethnicorum more dies, quo fuerat Deo templum aliquod sub ejus nomine dedicatum. « Natalis Nicomedis martyris » pro dedicatione Ecclesiæ ejusdem Nicomedis legitur in genuino Bedæ Martyrologio, et in Martyrologiis reginæ Suevorum, et Othoboniano. « Natalem quoque sanctæ Mariæ ad Martyres » duo Bedæ apographa optimæ notæ in codicibus Palat. Vatic. 833 et 834. Ado, Usuardus, Nolkerus, alique exhibent, utque in cæteris Martyrologiis « dedicatio ecclesiæ Sanctæ Mariæ ad Martyres. » Habetur quoque in vetustissimo Leoniano Sacramentario pro dedicatione Ecclesiæ S. Michaelis archangeli « natale basilicæ Angeli in Salaria. » Dixi id factum « ex ipso ethnicorum more. » Romani enim ethnici, ut animadvertit Cl. Althanus p. 65. Natalis nomine eodem plane sensu usi sunt; sic apud Ciceronem lib. iv *ad Attic.*, ep. 1, « Natalis salutis » dies vocatur, quo templum fuerat saluti inscriptum.

(12. Cavebis igitur ne ubi sancti cujuspiam natalis occurrat, statim credas diem mortis designari. Multa antequam hac de re judicium feras, consideranda erunt, ducibus Baronio, Sollerio, Georgio et Mazochio ad Kalendarium Neapolitanum.*

NAUFRAGIUM, NAUFRAGANTES.

SUMMARIUM.

1. Per naufragium quid intelligatur? — 2. Naufragantium bona remanent adhuc de jure suorum dominorum. — 3. Sic etiam de jure suorum dominorum remanent adhuc bona illa, quæ in naufragii periculo conjiciuntur in mare. — 4. Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea piscantes in mari, vel flumine tenentur restituere domino. — 5. Imo qui talia bona non restituit domino, quadruplo tenetur. — 6. Qui imo ea ratione retinens, et non restituens publicatione bonorum mulctatur. — 7. Unde si quæ esset alia lex, aut consuetudo talia bona non restituendi, tanquam injusta esset deserenda et abroganda. — 8. Hinc naufragantium bona inventa sibi assumentes, excommunicati sunt. — 9. Excommunicationem etiam incurrunt accipientes scienter bona ab iis, qui naufragantium bona acceperunt. — 10. Nec refert, quod ea bona dominus nunquam forsitan recuperaturus fuisset, nisi talis piscator v. g. aut ereptor magna industria, labore et periculo vitæ, ea recuperasset. — 11. Potest tamen talis piscator, aut ereptor compensationem laboris ac periculi sui debite æstimatum jure exigere. — 12. Unde naufragii tempore, qui vocati a patronis navium, seu barcharum, auxilium eis ad bonorum præservacionem

præstiterint in portibus et ripis ditiori Papæ subjectis, lucrantur quartam partem bonorum præservatorum, aut acceptorum. — 13. Et insuper consequuntur indulgentiam decem annorum et totidem quadragenarum. — 14. Et e contra non dantes auxilium naufragantibus incurrunt crimen læsæ majestatis. — 15. Qui Christianos naufragia patientes rebus suis spoliare præsumunt, incurrunt excommunicationem. — 16. Item excommunicationem incurrunt, qui Christianos navigantes rebus suis spoliant. — 17. Si, ut a periculo naufragii liberetur navis onusta mercibus plurium mercatorum, projectæ sint in mare merces aliquorum duntaxat ex illis, tenentur omnes pro sua parte æque reparare, vel compensare judicio viri periti damna eorum. — 18. Mercatores, quorum merces præservatæ sunt a naufragio ob exonerationem navis factam per projectionem mercium aliorum in mare, debent contribuere juxta valorem, et pretium suarum mercium sine respectu, aut ad gravitatem, aut ad majus, vel minus spatium, quod occupant. — 19. Si autem dominus navis, sæviente tempestate, anchoras, aut alias navis partes amiserit, non tenentur mercatores talem jacturam ei compensare. — 20. Si vero vectorum voluntate, et utilitate ad evitandum naufragium talis navis partes projectæ

sint in mare, tunc a dictis vectoribus, seu mercatoribus debet ei fieri compensatio. — 21. Item compensatio fieri debet etiam mercatori illi, cujus merces ratione jactus aliarum in mare deteriores factæ sunt. — 22. Si autem damnum secutum in suis mercibus propter talem jactum sit minus ea portione, quam pro sua parte conferre minus deberet, debet reliquum conferre, et ita e contra. — 23. Si tamen damnum in suis mercibus non sit secutum

(1. Per naufragium intelligitur navis aut cujuslibet navigii, maria seu alia flumina emetientis, jactura, sive in rupes elidat, sive aquis absorbeat cum nautis ac mercibus omnibus, aut sola parte illarum.

(2. Naufragantium bona remanent adhuc de jure suorum dominorum; l. *Pomponius 44, De acquirendo rerum dominio*, ubi expresse dicitur: « Si naufragio quid amissum sit, non statim nostrum esse desinere. »

(3. Sic etiam de jure suorum dominorum adhuc remanent bona illa, quæ in naufragii periculo conjiciuntur in mare. *Institut.*, lib. II, tit. 1, § 48, ibi: « Alia sane causa est aliarum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur; hæc enim dominorum permanent; quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. Qua de causa, si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari lucrando animo abstulerit, furtum committit. » l. *Interdum 21, ff. De acquirenda vel amittenda possessione*, § 1, ibi: « Quod ex naufragio expulsum est, usucapi non potest, quoniam non est in derelicto, sed in deperdito; » et *ibidem* § 2: « Idem juris esse existimo in his rebus quæ jactæ sunt: quoniam non potest videri id pro derelicto habitum, quod salutis causa interim dimissum est. » l. *Si laborante 2, § 8, ff. De lege Rhodia*, et l. *Qui levandæ 8, ff. eodem*.

(4. Hinc talia bona post naufragium reperientes in littore maris, aut fluminis, seu ea piscantes in mari, vel flumine, tenentur restituere domino. l. *Navigia*, cod. *De furtis*, et sanctus Pius V, constitut. 7 incip. *Cum nobis*. (5. Imo, qui dicta bona non restituit domino, quadruplo tenetur. l. *Pomponius 44, ff. De acquirendo rerum dominio*.

(6. Quinimo ea retinens et non restituens, publicatione omnium bonorum mulctatur, cit. l. *Navigia*, cod. *De furtis*, et expresse Julius II, constitut. 20 incip. *Romanus Pontifex*. (7. Unde, si quæ esset alia lex, aut consuetudo talia bona non restituendi, tanquam injusta esset deserenda et abroganda, cit. l. *Navigia*, cod. *De furtis*, et Julius II cit. constitut. 20 incip. *Romanus Pontifex*, ibi: « Nos considerantes, tam civili quam canonica legelicerè unicuique naufragium suum impune colligere, ac jacta in mari, alleviandi oneris causa recuperare, illaque diripientes furtum committere, ac graviter delinquere, ac Christianos naufragium patientes rebus suis spoliante diversis pœnis puniri; et propterea consuetudinem prædictam, tanquam contra regulam fidei, qua unus alteri auxilio esse tenetur, merito corruptelam appellari, neminique suffragari

propter talem jactum, sed ex alia causa, tunc debet conferre secundum pretium præsens suarum mercium. — 24. Si navis a pirata capta magna aliqua pretii summa redimatur, tenentur omnes concurrere ad solvendam illam summam pro ratione rerum, quas servaverunt. — 25. Si autem pirata, seu prædo a dicta navi abstulerit solas merces unius ex dictis mercatoribus, ipse solus damnum sustinere tenetur.

debere eujuscunque temporis cursu unitam consuetudinem capiendi et retinendi bona per naufragium, vel jactum, levandæ navis gratia, aut alia urgente necessitate factum, nulli in iudicio, vel extra illud suffragari debere, auctoritate Apostolica tenore præsentium decernimus et declaramus. » Quod et confirmavit Paulus III const. 42, inc. *Accepimus*.

(8. Hinc naufragantium bona inventa sibi assumptes excommunicati sunt in Bulla Cœnæ. Vide verb. EXCOMMUNICATIO, art. 3, § 4. (9. Excommunicationem etiam incurrun accipientes scienter bona ab iis, qui naufragantium bona acceperunt. Gregorius XIII constitut. 81 incip. *Consueverunt*.

(10. Nec refert, quod ea bona dominus nunquam forsitan recuperaturus fuisset, nisi talis v. g. piscator, aut ereptor magna industria, labore et periculo vitæ ea piscasset, aut eripuisset. l. *Pomponius 44, ff. De acquirendo rerum dominio*; ubi dicitur, quod quælibet res nostra, quantumcunque periclitetur, manet nostra, quando non est consumpta. (11. Et sic tenet quoad omnes suprapositas conclusiones communis doctorum; qui tamen dicunt quoad hanc ultimam, posse talem piscatorem, seu ereptorem compensationem laboris ac periculi sui debite æstimatum jure exigere, quia domini negotium utilissime gesserunt. l. *Navis 4, ff. De lege Rhodia*. (12. Unde naufragii tempore, qui vocati a patronis navium, vel barcarum, auxilium eis ad bonorum præser-

vationem, vel recuperationem præstiterint in portibus et ripis ditioni Papæ subjectis, lucrantur quartam partem bonorum præservatorum, aut acceptorum. Paulus III, constitut. 42, incip. *Accepimus*. (13. Et insuper consequuntur indulgentiam decem annorum et totidem quadragenarum. Julius II, constitut. 20 incip. *Romanus Pontifex*, et S. Pius V, constitut. 7 incip. *Cum nobis*. (14. Et e contra non dantes auxilium naufragantibus in statu Ecclesiæ incurrunt crimen læsæ majestatis. S. Pius V, cit. constitut. 7 incip. *Cum nobis*. (15. Illi etiam, qui Christianos naufragia patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnata cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subjacere. Sic expresse habetur in cap. *Excommunicationi 3, De raptoribus*.

(16. Ubi etiam statuitur, quod excommunicationi subdantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis honestis causis navigio vectos aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Sic *ibi*.

(17. Si, ut a periculo naufragii liberetur navis onusta mercibus plurium mercatorum,

projectæ sint in mare merces trium ex dictis mercatoribus, et sic preservata sit navis cum mercibus aliorum, tenentur omnes pro sua parte æque reparare et compensare judio viri periti jacturam et damna eorum trium, quorum merces pro communi omnium utilitate in mare projectæ sunt, textu expresso in lege *Rhodia*, ff. *De lege Rhodia*, ibi: « Lege Rhodia cavetur, ut, si servandæ navis gratia, jactus mercium factus est, omnium contributione sarciantur, quod pro omnibus datum est; » et l. *Si laborante 2, ff. eodem*, ibi: « Equissimum enim est, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amissas res aliorum, consecuti sunt ut merces suas salvas haberent. »

(18. Mercatores, quorum merces præservatæ sunt a naufragio ob exonerationem navis factam per projectionem mercium aliorum in mare, debent contribuere juxta valorem et pretium suarum mercium sine respectu, aut ad gravitatem, aut ad majus, vel minus spatium, quod occupant, sive sint gemmæ, aut margaritæ et hujusmodi; nam ad pretium, quod in pereundi periculo fuit, et quod servatum fuit, omnino attendendum est, ut expresse statuitur in l. *Si laborante 2, ff. De lege Rhodia*, § 2, ibi: « Cum in eadem nave varia mercium genera complures mercatores coegissent, prætereaque multi vectores servi, liberique in ea navigarent, tempestate gravi orta, necessario jactura facta erat; quæ sita deinde sunt hæc, an omnes jacturam præstare oporteat, et si qui tales merces imposuissent, quibus navis non oneraretur, veluti gemmas, margaritas, et quæ portio præstanda est? et an etiam pro liberis capitibus dari oporteat? et qua actione ea res expediri possit? Placuit, omnes, quorum interfuisset jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum conservatæ res deberent; itaque dominum etiam navis pro portione obligatum esse; jacturæ summam pro rerum pretio distribui oportet; corporum liberorum æstimationem nullam fieri posse. Ex conducto dominos rerum amissarum cum nauta, id est cum magistro acturos. »

(19. Si autem dominus navis, sæviante tempestate, anchoras aut alias navis partes amiserit, non tenentur mercatores domini mercium inibi existentium talem jacturam ei compensare, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 1, ibi: « Si conservatis mercibus deterior facta sit navis, aut si aliquid exar-maverit, nulla facienda est collatio; quia dissimilis earum rerum causa sit, quæ navis gratia parentur, et earum, pro quibus mercedem aliquis acceperit; nam etsi faber incudem, aut malleum frerit, non imputaretur ei, qui locaverit opus. » (20. Si vero vectorum voluntate et utilitate ad evitandum naufragium tales navis partes projectæ sint in mare, tunc a dictis vectoribus debet ei fieri compensatio, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 1, in fine, ibi: « Sed si voluntate vectorum, vel propter aliquem metum id detrimentum factum sit, hoc ipsum sarciri oportet, » et l. *Cum arbor 3, ff. eodem, De lege Rhodia*, ibi: « Cum arbor, aut ali-

quod navis instrumentum, removendi communis periculi causa dejectum est, contributio debetur; » et l. *Amisæ navis 5, § 1, ff. eod.*, ibi: « Arbore cæsa, ut navis cum mercibus liberari possit, æquitas contributionis habebit locum. »

(21. Item compensatio fieri debet etiam mercatori illi, cujus merces, ratione jactus aliarum in mare, deteriores factæ sunt, verb. grat. quia propter jactum, nudatis suis mercibus, damnum secutum est. Sic expresse habetur in l. *Navis 4, ff. De lege Rhodia*, in fine, ibi: « Sed hic videamus, dum et ipsi conferre oporteat, quid enim interest jactatas res meas amiserim, an nudatas deteriores habere cœperim? Nam sicut ei qui perdidit subvenitur, ita ei subveniri oportet qui deteriores propter jactum res habere cœperit. Hæc ita Papius Fronto respondit. »

(22. Si autem damnum secutum in suis mercibus propter talem jactum sit minus ea portione, quam pro sua parte aliis conferre deberet, debet reliquum conferre, et ita econtra, ut sic non sit melioris, nec deterioris, sed æqualis conditionis cum aliis. Sic expresse in cit. l. *Navis*, § 2, circa medium, ibi: « Adhuc nunquid etsi aspergine propter jactum res deteriores factæ sunt? sed distinctio subtilior adhibenda est, quid plus sit, in damno, an in collatione, si v. grat. hæc res viginti fuerunt, et collatio quidem facit decem, damnum autem duo; deducto hoc, quod damnum passus est, reliquum conferre debeat. Quid ergo, si plus in damno erit quam in collatione? Ut puta decem aureis res deteriores factæ sunt, duo autem collationis sunt? Indubitate utrumque onus pati non debet. » (23. Si tamen damnum in suis mercibus non sit secutum propter talem jactum, sed ex alia causa, verb. grat. quia merces jacebant in angulo aliquo, ubi aqua penetravit, tunc debet conferre secundum pretium præsens suarum mercium, textu expresso in cit. l. *Navis*, § 2, ibi: « Cum autem jactus de nave factus est, et alicujus res, quæ in navi remanserunt, deteriores factæ sunt, videndum, an conferre cogendus sit? Quia non debet duplici damno onerari, et collationis, et quod res deteriores factæ sunt. Sed defendendum est, hunc conferre debere: pretio præsentis rerum. Itaque v. g. si vicenum merces duorum fuerunt, et alterius aspergine decem esse cœperunt, ille, cujus res integræ sunt, pro viginti conferat, hic pro decem... tunc enim conferre debet. »

(24. Si navis a pirata capta, magna aliqua pretii summa redimatur ab uno, vel duobus ex pluribus mercatoribus, qui in ea merces habent, tenentur omnes concurrere ad solvendam illam summam pro ratione rerum, quas servaverunt, textu expresso in cit. l. *Si laborante 2, ff. De lege Rhodia*, § 3, ibi: « Si navis a piratis redempta sit, Servius, Ofilius, Labeo omnes conferre debere aiunt. » (25. Si autem pirata, seu prædo a dicta navi abstulerit solas merces unius ex dictis mercatoribus ipse solus damnum sustinere tenetur, nec alii concurrere debent ad sol-

vendam summam ab ipso expensam pro earundem suarum mercium redemptione, textu expresso in cit. l. *Si laborante*, § 3, ibi: « Quod vero prædones abstulerint, eum perdere, cujus fuerit, nec conferendum ei, qui suas merces redemerit. »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(26. Pertinet huc lex Rhodia de jactu, qua, uti æquissima, Romani usi sunt, et utuntur etiamnum omnes populi, quatenus legibus particularibus non sit ei derogatum.

(27. In specie hac lege cautum est: « Ut si, naufragio imminente, merces, levandæ navis gratia, jactæ sint, reliqui socii periculi, quorum res sunt servatæ, in tributum veniant. » Hoc porro congruit juri naturæ, quod dictat, ut omnium contributione, sarciantur, quod pro omnibus datum est.

(28. Ut autem vectores reliqui teneantur ad contributionem, requiritur: I. Ut jactus sit factus, et quidem ob justum metum naufragii, de consensu majoris saltem partis navigantium. L. 2, princip., et § 2, ff. *Ad leg. Rhod.*, De jact.

(29. Damnum autem, quod culpa existit, ab auctore damni est resarciendum, in subsidium tamen, si naufragii avertendi causa factus est jactus, locum habet contributio, quatenus damnum passi suum ab auctore damni servare nequeunt. Arg. l. 29, § 3, ff. *Ad leg. Aquil.*

(30. II. Ut res jactæ sint amissæ, vel deterioratæ. L. 4, in fin., ff. *Ad leg. Rhod.*, De jact. Si recuperatæ, cessat æquitas contributionis. L. 2, § 7, ff. dict. tit. Imo, si post contributionem jam factam salvæ fuerunt recuperatæ, condici potest quod tributum est. Arg. l. 2, § 1, *De condict. sine causa*.

(31. Manet enim domini res jacta, quia reprobatur est jus occupandi bona naufragorum, ita ut furti teneatur qui tales res haud restituit. Authent. *Navigia*, c. *De furtis*.

(32. III. Ut per jactum navis, res cæterorum vectorum sint servatæ, inde nascitur obligatio ad contributionem quoad omnes res servatas, etiam non multum onerantes navim, imo quoad ipsam navim servatam, non quoad cibaria. L. 2, § 2, ff. *Ad leg. Rhod.*, De jactu. Quod si, facto jactu, nihilominus perierit navis, nulla fit contributio, sed quod quisque servat, hoc sibi servat quasi, ex incendio. L. 5, princip., et l. 7, dict. tit. Cæterum sufficit ad obligationem hac

NAUTICUM FENUS.

SUMMARIUM.

1. Nauticum fenus quid sit, quæque hujus contractus natura; ad n. 12. — 13. Quæ ad hujusmodi contractus validitatem requirantur? — 14. In quot species dividatur; ad num. 15. — 16. Justiniani

(1. Inter contractus, qui aleam continere dicuntur, et in quibus jus ad rem quamcunque non certo existituram cum re certa, vel pecunia permutatur (ut in l. 11, § ult., in

vice navim esse servatam, licet postea alibi submergat. L. 4, § 1, ff. dict. tit.

(33. Concurrentibus hisce, omnes contribuant, quorum interfuit jactum factum fuisse. L. 2, § 2, dict. tit., adeoque etiam assecuratores, dominus navis, et quorum res amissæ. Contributio autem fit secundum proportionem respectivam, ita tamen, ut amissarum, quatenus indicatæ sunt, æstimatio computetur, « quanti emptæ sunt, » servatarum vero quanti « venire possunt. » L. 2, § 4, ff. dict. tit. Alicubi vero mores variant. Confer Loccen., *De jur. maritim.*, lib. II, cap. 8.

(34. Quod autem mirum est, Romani, qui agnoscunt æquitatem contributionis, minime tamen suppeditant formulam agendi, qua damnnum passus directo agere queat, sed contra magistrum navis potius agere jubent ex locato, ut is cum reliquis agat ex conducto. L. 2, princip., ff. dict. tit., eorumque res, donec solverint, retineat. (35. Moribus vero directo agi potest cum conventoribus. Adest enim obligatio perfecta ad contribuendum, quod sufficit, cum ad formulas actionum non simus astricti. Non tamen magister navis vectorum res dimittere debet, priusquam facta sit contributio, alioquin tenetur ipse in solidum. Confer Huber. in *Prælect.*, hoc tit., § 7.

(36. Lex Rhodia de jactu ob simile damnum extenditur. I. Ad res in navi per jactum deteriores redditas. Arg. l. 4, ff. hoc tit. Item repositas in scapham levandæ navis ergo, si perierint in ea. Arg. dict. leg. 4, ff. eod. Quod secus est, quando navis perierit, scapha incolumi. Arg. dict. leg. II. Ad solutionem factam piratis, a quibus navis redempta est; item hostibus pro evitando urbis incendio. Arg. leg. 2, § 3, ff. dict. tit. III. Ad domum publica auctoritate combustam, ut vis hostilis arceretur; læso enim satisfaciendum est ex publico. Arg. leg. 1, ff. dict. tit. IV. Si, incendio urgente, dirutum sit ædificium ad servanda vicina ædificia, quatenus servata eadem sunt, sive certum, sive incertum fuerit, perituram fuisse domum dirutam. Arg. l. 4, § final., ff. dict. tit., modo deficiat alia actio E. G. legis Aquiliæ adversus eum, qui causam culpa sua dedit incendio. (37. In his, similibusque casibus, modo de recepta hujusmodi extensione constat, locum habet imploratio officii judicis. Adi. Lautherbac., *De aquilat. et extension. leg. Rhod.*

leges de maritimis usuris intra certos limites cohibendis, ad num. 20. — 21. Quid de hac re ex temperamento DD. ad num. 22. — 23. An sit usura; ad num. 39. — 40. Quenam contractus huic affines, necne; ad num. 42.

fin., et l. 12, ff. *De act. empt. et vendit.*), commode etiam referri potest nauticum fenus, sive, ut alii dicunt, *mutuum*, vel *credendum marimum*, quemadmodum legitur in

Præfat. Novell. 106. Antiquissima præ cæteris exstant apud Græcos scriptores hujus negotiationis testimonia. Legimus enim apud Polluc., lib. III, c. 9, et lib. VIII, cap. 12. *Ναυτικὴν Συγγράμην* scilicet *nauticam syngrapham*, quæ videlicet de nautico fenore scripta erat. Idem pluribus in locis occurrit apud Demosthenem *Ναυτικὸς ἰργάζεσθαι*, nempe maritimis usuris quæstum facere. Habemus pariter ex Diogene Laertio, Zenonem, et Menippum solitos fuisse *Ναυτικῶ τοῦ δανείζειν*, id est *credere sub nautico fenore*. His omnibus accedit doctissimi Gothofredi testimonium in l. 122, § 1, ff. *De verbor. obligat.*, lit. t., quo confirmatur Græcis revera nauticum hoc fenus cognitum fuisse in eo, quod respicit illas nautici fenoris species, de quibus infra, nempe *Ἐπέρηλοιαι*, vel *Καὶ ἀμφοτερόηλοιαι* videlicet *in itum tantum*, vel *in itum et reditum*.

(2. Juxta varias temporum circumstantias, majoresque, aut minores locorum distantias, modo majores, modo minores exigebantur usuræ, ideonimirum, quia apud ipsos, teste Stypman., *De jur. marit.*, art. 4, c. 2, n. 126, non semper idem fenerandi modus asservabatur. Interdum enim maritimas usuras stipulabantur in octava parte sortis, modo eædem usuræ ipsam sortem æquabant, modo quintam ejusdem sortis partem non excedebant, quæ a Græcis dicitur *Ἐπίπεμπτος*, seu usura epipemptica, cujus exemplum videre est apud Demosthenem *ἐν τῷ πρὸς τὴν Ἀραβοῦδιον παραγραφήν* in epistola ad Apaturium.

(3. Romani, qui usque ab initio quamplures a Græcis mutuaverant mores, hunc quoque fenerandi modum secuti fuerunt quoad substantiam, accommodantes incidentia majori civium commoditati. Hanc negotiationem apud Romanos revera antiquitus in usu fuisse colligitur ex Livio, *Histor.*, lib. XXXIII, cap. 49: « Ut quæ in naves imposuissent, ab hostium tempestatibus vi publico periculo essent. » Clarius idem affirmat Sueton., in *Claud.*, c. 18: « Negotiatoribus comeatus hibernos invecturis certa luera proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset; » et Cicero, *Epistol. famil.*, 17, lib. II. Hæc proprie de assecuratoribus loquuntur, sed cum vel maxime cambio maritimo affinis sit assecuratio, ita esse nequit, ut Romani perspectum haberent assecurationis contractum eodemque tempore nauticum fenus ignorarent.

(4. Non æque ab omnibus hoc negotiandi genus definitur. Aliis quippe placuit, ut « sit mistum ex contractu mutui, et contractu periculi aversi, directe respiciens pecunias mutuas, et usuram propter usum earum solvendam, in majore tamen quantitate ob conjunctum periculum. » Ita Zecch., *Rigor. moderat. circa usuras*, dissert. 3, cap. 2, sect. 4, *De contract. assecurat.*, § 115, qui in hoc sequitur, Grot., *De jur. bell. et pac.*, lib. II, cap. 12, § 5, in fin. Eundem tamen refellit, vel saltem declarat Henric. Coccei, in ipsius *Comment.* ad dict. § 5, in

fin.: « Fenus nauticum est, quando quis alii credit pecuniam mari transvehendam, ea lege, ut periculum sit penes creditorem; unde differt a mutuo, quia natura mutui in eo consistit, ut periculum sit debitoris, qui dominus est pecuniæ, nec est contractus innominatus *do ut des*, quia proprium nomen huic negotio datum est. Jure naturæ hic unum negotium est, adeoque nulla compositio hic obtinet. Inter paciscentes enim convenit, ut certa pecunia alicui solvatur ea lege, ut reddat eam cum usuris centesimis, si salva fuerit navis. » Quare alii fortasse rectius simpliciorum hujus contractus definitionem tradunt, quod nempe sit « illud, quod ex mutua pecunia trans mare vehenda periculo creditoris ipsi creditori a recipiente solvitur. » Hanc veriorum hujus contractus definitionem esse arbitror, eamque videtur etiam sequi Heinec. in *Pandect.*, part. IV, § 106, vide tamen etiam Samuel Coccei, *De nautic. fenor.*, lib. XXII, tit. 2, quæst. 1, et Voet, in *Pandect.*, eod. tit., in princ.

(5. Nihilominus plerisque forensibus placuit diversam omnino a præcedentibus tradere hujus contractus definitionem. Ita quippe docent: « Cambia maritima trinum continent contractum: primum nempe societatis lucrorum inter dantem et accipientem: alterum venditionis eorundem lucrorum a commercio maritimo pariendorum ac tertium susceptionis periculi. » Per., in *Tractat. de negotiat.* Italice scripto, part. III, cap. 10, vers. *Ridicolo dunque*, et vers. *All' incontro*; Targa, *Ponderat. maritim.*, cap. 32, n. 13 et seq.; Casareg., *De commerc. et consulat. maris*, tom. I, dis. 14, sub n. 4, § *Nostrates*, et tom. II, disc. 62, n. 1. Super his, nostra servata methodo, propositam non pigeat expendere definitionem. Primo sane non satis liquet cur in nautico fenore tres enuntiatu contractus debeant induci.

(6. Nauticum quippe fenus, ut recte advertit Cocceius *loc. sup. cit.*, est contractus nominatus, suasque peculiarias habet leges, quibus nititur, quin ipsius validitatem et existentiam ab aliis multiplicibus contractibus suscipiat. Ut in nautico fenore tres isti contractus inducantur, ad præsumptiones, et conjecturas confugiendum est. Porro contractus societatis a quacunque abhorret præsumptione, adeo ut, nisi evidentissime probetur, nunquam inesse censetur, ut de societate fusiis probatum est. Præterea, si natura enuntiatorum contractuum expendatur, manifestum erit, non separatos esse contractus, sed unicum contractum societatis, « Societas quippe est contractus qui ex consensu duorum, pluriumve communionem inducit inter eos: vel communio pro indiviso consensu contracta; vel communionis consensus inter aliquos: vel damni et lucri ex consensu facta communicatio honesta et justa. » Ita Cujacius in *Paratit. Digestorum*, lib. XVII, tit. 2, lit. C., et Voet., in *Pandect.*, lib. XVII, tit. 2, n. 1. Vel igitur nullum societatem inter et nauticum fenus constitui discrimen debet, vel, si nomine et qualitatibus distinguendum est a societate nauticum